Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



·VIIII·

65

illoꝝ in me: ut omnes unum sint sicut tu pater in me et ego in te: ut et ipsi in nobis unum sint: ut mundus credat quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis: ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me: ut sint consummati in unum: et cognoscat mundus quia tu me misisti. et dilexisti eos sicut et me dilexisti. Pater quos dedisti mihi: volo ut ubi sum ego et illi sint mecum ut videant claritatem meam quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater iuste: mundus te non cognovit. ego autem cognovi te: et hi cognoverunt quia tu me misisti. Et notum eis feci nomen tuum et notum faciam: ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit. et ego in ipsis.

Feria vi. Actuum xi.

In diebus illis. Apostoli et seniores fratres his qui sunt in antiochia et syria et cilicia fratribus exgenatibus salutem. Audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt uos. subuertentes animas uestras. quibus non mandauimus. placuit nobis collectis in unum eligere uiros. et mittere ad uos cum karissimis nostris barnaba. et paulo hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine domini nostri iesu christi. Misimus ergo iudam. et silam. qui et ipsi uobis uerbis referent eadem. Visum est enim spiritui sancto et nobis. nihil ultra imponere uobis oneris. quam hec que necessaria sunt. ut abstineatis uos ab immolatis simulachrorum. et sanguine suffocato. et fornicatione. a quibus custodientes uos. bene ageretis ualete.

Sancti mathei

In illo tempore. Dixit iesus discipulis suis: adhuc modicum uobiscum sum: quaeretis me: et sicut dixi iudeis. quo ego uado uos non potestis uenire. Et uobis dico modo. mandatum nouum do uobis. ut diligatis inuicem: sicut dilexi uos. ut et uos inuicem diligatis. In hoc cognoscent omnes quia mei estis si dilectionem habueritis ad inuicem. Dicit ei simon petrus. Domine quo uadis: Respondit ei iesus. Quo ego uado non potes me nunc sequi: sequeris autem postea.

Sancti Iacobi apostoli

Fratres. Estote factores uerbi et non auditores. tantum fallentes uos metipsos: quia si quis auditor est uerbi et non factor: hic comparabitur uiro considerantiui naturalitatis suae in speculo. Considerauit enim se et abiit: et statim obliuiscitur qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfecta libertatis et permanserit. non auditor obliuiosus factus sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse non